Ad Bened. Ant. 1. g (ré-la)










*Cant.* Benedíctus Dóminus Déus Israel. 538.

*Deinde* ℣. Chrístus fáctus est. *cum reliquis*, 539.

## IN VIGILIA PASCHAE.

*Dicta Nona, Sacerdos, astantibus sibi Ministris cum Cruce, aqua benedicta, et incenso, ante portam Ecclesiae, si commode potest, vel in ipso aditu Ecclesiae, benedicit novum ignem, dicens :*

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

Orémus.

DEus, qui per Fílium tuum, anguláre scílicet lápidem, claritátis tuae ignem fidélibus contulísti : prodúctum e sílice, nostris profutúrum úsibus, novum hunc ignem sancti✠fica : et concéde nobis, ita per haec festa paschália caeléstibus desidériis inflammári; ut ad perpétuae claritátis, puris méntibus, valeámus festa pertíngere. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

DOmine Deus, Pater omnípotens, lumen indefíciens, qui es cónditor ómnium lúminum : béne✠dic hoc lumen, quod a te sanctificátum atque benedíctum est, qui illumináisti omnem mundum : ut ab eo lúmine accendámur, atque illuminémur igne claritátis tuae : et sicut illumináisti Móysen exeúntem de Aegýpto, ita illúmines corda et sensus nostros; ut ad vitam et lucem aetérnam perveníre mereámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

DOmine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus : benedicéntibus nobis hunc ignem in nómine tuo, et unigéniti Fílii tui Dei ac Dómini nostri Jesu Christi, et Spíritus Sancti, cooperári dignéris; et ádjuva nos contra ignita tela inimíci, et illústra grátia caelésti. Qui vivis et regnas cum eódem Unigénito tuo, et Spíritu Sancto, Deus : per ómnia saécula saeculórum. ℟. Amen.

*Deinde benedicit quinque grana incensi ponenda in Cereo, dicens absolute hanc Orationem :*

VEniat, quaésumus omnípotens Deus, super hoc incénsum larga tuae bene✠dictiónis infúsio : et hunc noctúrnum splendórem invisíbilis regenerátor accénde; ut non solum sacrifícium, quod hac nocte litátum est, arcána lúminis tui admixtióne refúlgeat; sed in quocúmque loco ex hujus sanctificatiónis mystério áliquid fúerit deportátum, expúlsa diabólicae fraudis nequítia, virtus tuae majestátis assístat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



*Tum ordinatur Processio ad chorum. Diaconus accendendo candelas in summitate arundinis, positas ter decantat in processu, singulis vicibus elevando altius vocem :*




*Deinde, postquam accepit benedictionem, cantat :*

EXsúltet jam Angélica turba caelórum : exsúltent divína mystéria : et pro tanti Regis victória, tuba insónet salutáris. Gáudeat et tellus tantis irradiáta fulgóribus : et aetérni Regis splendóre illustráta, totíus orbis se séntiat amisísse calíginem. Laetátur et mater Ecclésia, tanti lúminis adornáta fulgóribus : et magnis populórum vócibus haec aula resúltet. Quaprópter astántes vos, fratres caríssimi, ad tam miram hujus sancti lúminis claritátem, una mecum, quaeso, Dei omnipoténtis misericórdiam invocáte. Ut qui me non meis méritis intra Levitárum númerum dignátus est aggregáre : lúminis sui claritátem infúndens, Cérei hujus laudem implére perfíciat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium suum : qui cum eo vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Per ómnia saécula saeculórum. ℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu túo.
℣. Súrsum córda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Déo nóstro.
℟. Dignum et jústum est.

VEre dignum et justum est, invisíbilem Deum Patrem omnipoténtem, Filiúmque ejus unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, toto cordis ac mentis afféctu, et vocis ministério personáre. Qui pro nobis aetérno Patri, Adae débitum solvit : et véteris piáculi cautiónem pio cruóre detérsit. Haec sunt enim festa paschália, in quibus verus ille Agnus occíditur, cujus sánguine postes fidélium consecrántur. Haec nox est, in qua primum patres nostros fílios Israel edúctos de Aegýpto, mare Rubrum sicco vestígio transíre fecísti. Haec ígitur nox est, quae peccatórum ténebras, colúmnae illuminatióne purgávit. Haec nox est, quae hódie per univérsum mundum, in Christo credéntes, a vítiis saéculi, et calígine peccatórum segregátos, reddit grátiae, sóciat sanctitáti. Haec nox est, in qua destrúctis vínculis mortis, Christus ab ínferis victor ascéndit. Nihil enim nobis nasci prófuit, nisi rédimi profuísset. O mira circa nos tuae pietátis dignátio! O inaestimábilis diléctio caritátis : ut servum redímeres, Fílium tradidísti! O certe necessárium Adae peccátum, quod Christi morte delétum est! O felix culpa, quae talem ac tantum méruit habére Redemptórem! O vere beáta nox, quae sola méruit scire tempus et horam, in qua Christus ab ínferis resurréxit! Haec nox est, de qua scriptum est : Et nox sicut dies illuminábitur : Et nox illuminátio mea in delíciis meis. Hujus ígitur sanctificátio noctis fugat scélera, culpas lavat : et reddit innocéntiam lapsis, et maestis laetítiam. Fugat ódia, concórdiam parat, et curvat impéria.

*Hic Diaconus infigit quinque grana incensi benedicti in Cereo, in modum Crucis.*

1
4 2 5
3

In hujus ígitur noctis grátia, súscipe sancte Pater, incénsi hujus sacrifícium vespertínum : quod tibi in hac Cérei oblatióne solémni, per ministrórum manus de opéribus apum sacrosáncta reddit Ecclésia. Sed jam colúmnae hujus praecónia nóvimus, quam in honórem Dei rútilans ignis accéndit.

*Hic Diaconus accendit Cereum.*

Qui licet sit divísus in partes, mutuáti tamen lúminis detriménta non novit. Alitur enim liquántibus ceris, quas in substántiam pretiósae hujus lámpadis, apis mater edúxit.

*Hic accenduntur lampades.*

O vere beáta nox, quae exspoliávit Aegýptios, ditávit Hebraéos! Nox, in qua terrénis caeléstia, humánis divína jungúntur. Orámus ergo te, Dómine : ut Céreus iste in honórem tui nóminis consecrátus, ad noctis hujus calíginem destruéndam, indefíciens persevéret. Et in odórem suavitátis accéptus, supérnis luminároibus misceátur. Flammas ejus lúcifer matutínus invéniat. Ille, inquam, lúcifer, qui nescit occásum. Ille, qui regréssus ab ínferis, humáno géneri serénus illúxit. Precámur ergo te, Dómine : ut nos fámulos tuos, omnémque clerum, et devotíssimum pópulum : una cum beatíssimo Papa nostro *N.* et Antístite nostro *N.* quiéte témporum concéssa, in his paschálibus gáudiis, assídua protectióne régere, gubernáre, et conserváre dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus : per ómnia saécula saeculórum.

℟. Amen.

*Postea leguntur Prophetiae.*

## Prophetia I.

*Gen. 1. et 2.*

IN princípio creávit Deus caelum, et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebrae erant super fáciem abýssi : et Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem Diem, et ténebras Noctem : factúmque est véspere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus : Fiat firmaméntum in médio aquárum : et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas quae erant sub firmaménto, ab his quae erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Caelum : et factum est véspere et mane, dies secúndus. Dixit vero Deus : Congregéntur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum : et appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terram, congregationésque aquárum appellávit mária. Et vidit Deus quod esset bonum, Et ait : Gérminet terra herbam viréntem, et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem, et faciéntem semen juxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies tértius. Dixit autem Deus : Fiant luminária in firmaménto caeli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora, et dies et annos : ut lúceant in firmaménto caeli, et illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna : luminàre majus, ut praeésset diéi, et luminàre minus, ut praeésset nocti : et stellas. Et pósuit eas in firmaménto caeli, ut lucérent super terram, et praeéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus. Dixit etiam Deus : Prodúcant aquae réptile ánimae vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto caeli. Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquae in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixítque eis, dicens : Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris : avésque multiplicéntur super terram. Et factum est véspere et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus : Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo : juménta, et reptília, et béstias terrae secúndum spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terrae juxta spécies suas, et juménta, et omne réptile terrae in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram : et praesit píscibus maris, et volatílibus caeli, et béstiis, universaéque terrae, omníque réptili quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam : ad imáginem Dei creávit illum, másculum et féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, et ait : Créscite et multiplicámini, et repléte terram, et subjícite eam, et dominámini píscibus maris, et volatílibus caeli, et univérsis animántibus, quae movéntur super terram. Dixítque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen



super terram, et univérsa ligna quae habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam : et cunctis animántibus terrae, omníque vólucri caeli, et univérsis quae movéntur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quae fécerat : et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus. Igitur perfécti sunt caeli et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat : et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat.

*Sacerdos.* Orémus. *Diaconus.* Flectámus génua. *Subdiaconus.* ℟. Leváte.

### Oratio.

DEus qui mirabíliter creásti hóminem, et mirabílius redemísti : da nobis, quaésumus, contra oblectaménta peccáti, mentis ratióne persístere; ut mereámur ad aetérna gáudia perveníre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus : per ómnia saécula saeculórum. ℟. Amen.

## Prophetia II.

*Gen. 5. 6. 7. et 8.*

NOE vero cum quingentórum esset annórum, génuit Sem, Cham, et Japheth. Cumque coepíssent hómines multiplicári super terram, et fílias procreássent, vidéntes fílii Dei fílias hóminum quod essent pulchrae, accepérunt sibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixítque Deus : Non permanébit spíritus meus in hómine in aetérnum, quia caro est : erúntque dies illíus centum vigínti annórum. Gigántes autem erant super terram in diébus illis. Postquam enim ingréssi sunt fílii Dei ad fílias hóminum, illaéque genuérunt, isti sunt poténtes a saéculo viri famósi. Videns autem Deus quod multa malítia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis inténta esset ad malum omni témpore, paenítuit eum quod hóminem fecísset in terra. Et tactus dolóre cordis intrínsecus : Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, a fácie terrae, ab hómine usque ad animántia, a réptili usque ad vólucres caeli : paénitet enim me fecísse eos. Noe vero invénit grátiam coram Dómino. Hae sunt generatiónes Noe : Noe vir justus atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit. Et génuit tres fílios, Sem, Cham et Japheth. Corrúpta est autem terra coram Deo, et repléta est iniquitáte. Cumque vidísset Deus terram esse corrúptam (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram), dixit ad Noe : Finis univérsae carnis venit coram me : repléta est terra iniquitáte a fácie eórum, et ego dispérdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis laevigátis : mansiúnculas in arca fácies, et bitúmine línies intrínsecus, et extrínsecus. Et sic fácies eam : Trecentórum cubitórum erit longitúdo arcae, quinquagínta cubitórum latitúdo, et trigínta cubitórum altitúdo illíus. Fenéstram in arca fácies, et in cúbito consummábis summitátem ejus : óstium autem arcae pones ex látere : deórsum coenácula, et trístega fácies in ea. Ecce ego addúcam aquas dilúvii super terram, ut interfíciam omnem carnem, in qua spíritus vitae est subter caelum. Univérsa quae in terra sunt, consuméntur. Ponámque foedus meum tecum : ingrediéris arcam tu et fílii tui, uxor tua, et uxóres filiórum tuórum tecum. Et ex cunctis animántibus univérsae carnis bina indúces in arcam, ut vivant tecum : masculíni sexus et feminíni. De volúcribus juxta genus suum, et de juméntis in génere suo, et ex omni réptili terrae secúndum genus suum : bina de ómnibus ingrediéntur tecum, ut possint vívere. Tolles ígitur tecum ex ómnibus escis, quae mandi possunt, et comportábis apud te : et erunt tam tibi, quam illis in cibum. Fecit ígitur Noe ómnia, quae praecéperat illi Deus. Erátque sexcentórum annórum quando dilúvii aquae inundavérunt super terram. Rupti sunt omnes fontes abýssi magnae, et cataráctae caeli apértae sunt : et facta est plúvia super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus. In artículo diéi illíus ingréssus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth fílii ejus : uxor illíus, et tres uxóres filiórum ejus cum eis in arcam : ipsi, et omne ánimal secúndum genus suum, univérsaque juménta in génere suo, et omne quod movétur super terram in génere suo, cunctúmque volátile secúndum genus suum. Porro arca ferebátur super aquas. Et aquae praevaluérunt

nimis super terram : opertique sunt omnes montes excélsi sub univérso caelo. Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. Consúmptaque est omnis caro quae movebátur super terram vólucrum, animántium, bestiárum omniúmque reptílium, quae reptant super terram. Remánsit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. Obtinuerúntque aquae terram centum quinquagínta diébus. Recordátus autem Deus Noe, cunctorúmque animántium, et ómnium jumentórum, quae erant cum eo in arca, addúxit spíritum super terram, et imminútae sunt aquae. Et clausi sunt fontes abýssi, et cataráctae caeli : et prohíbitae sunt plúviae de caelo. Reversaéque sunt aquae de terra eúntes et redeúntes : et coepérunt minui post centum quinquagínta dies. Cumque transíssent quadragínta dies, apériens Noe fenéstram arcae, quam fécerat, dimísit corvum : qui egrediebátur, et non revertebátur, donec siccaréntur aquae super terram. Emísit quoque colúmbam post eum, ut vidéret si jam cessássent aquae super fáciem terrae. Quae cum non invenísset ubi requiésceret pes ejus, revérsa est ad eum in arcam : aquae enim erant super univérsam terram : extendítque manum, et apprehénsam íntulit in arcam. Exspectátis autem ultra septem diébus áliis, rursum dimísit colúmbam ex arca. At illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olivae viréntibus fóliis in ore suo. Intelléxit ergo Noe quod cessássent aquae super terram. Exspectavítque nihilóminus septem álios dies : et emísit colúmbam, quae non est revérsa ultra ad eum. Locútus est autem Deus ad Noe, dicens : Egrédere de arca, tu et uxor tua, fílii tui et uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quae sunt apud te, ex omni carne, tam in volatílibus, quam in béstiis et univérsis reptílibus quae reptant super terram, educ tecum, et ingredímini super terram : créscite et multiplicámini super eam. Egréssus est ergo Noe, et fílii ejus : uxor illíus, et uxóres filiórum ejus cum eo. Sed et ómnia animántia, juménta, et reptília quae reptant super terram secúndum genus suum, egréssa sunt de arca. Aedificávit autem Noe altáre Dómino : et tollens de cunctis pecóribus et volúcribus mundis, óbtulit holocáusta super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Deus, incommutábilis virtus, et lumen aetérnum : réspice propítius ad totíus Ecclésiae tuae mirábile sacraméntum, et opus salútis humánae, perpétuae dispositiónis effectu tranquíllius operáre : totúsque mundus experiátur et vídeat, dejécta érigi, inveteráta renovári, et per ipsum redíre ómnia in íntegrum, a quo sumpsére princípium : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat.

### Prophetia III.

*Gen. 22.*

In diébus illis : Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respóndit : Adsum. Ait illi : Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, et vade in terram visiónis : atque ibi ófferes eum in holocáustum super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum : ducens secum duos júvenes, et Isaac fílium suum. Cumque concidísset ligna in holocáustum, ábiit ad locum quem praecéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul : dixítque ad púeros suos : Exspectáte hic cum ásino : ego et puer illuc usque properántes, postquam adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocáusti, et impósuit super Isaac fílium suum : ipse vero portábat in mánibus ignem et gládium. Cumque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respóndit : Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis et ligna, ubi est víctima holocáusti? Dixit autem Abraham : Deus providébit sibi víctimam holocáusti, fili mi. Pergébant ergo páriter : et venérunt ad locum quem osténderat ei Deus, in quo aedificávit altáre, et désuper ligna compósuit : cumque alligásset Isaac fílium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extendítque manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum. Et ecce Angelus Dómini de caelo clamávit



dicens : Abraham, Abraham. Qui respóndit : Adsum. Dixítque ei : Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam : nunc cognóvi quod times Deum, et non pepercísti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, viditque post tergum aríetem inter vepres haeréntem córnibus, quem assúmens óbtulit holocáustum pro fílio. Appellavítque nomen loci illíus, Dóminus videt. Unde usque hódie dícitur : In monte Dóminus vidébit. Vocávit autem Angelus Dómini Abraham secúndo de caelo, dicens : Per memetípsum jurávi, dicit Dóminus : quia fecísti hanc rem, et non pepercísti fílio tuo unigénito propter me : benedícam tibi, et multiplicábo semen tuum sicut stellas caeli, et velut arénam quae est in líttore maris : possidébit semen tuum portas inimicórum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terrae, quia obedísti voci meae. Revérsus est Abraham ad púeros suos, abierúntque Bersabée simul, et habitávit ibi.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Deus, fidélium Páter summe, qui in toto orbe terrárum, promissiónis tuae fílios diffúsa adoptiónis grátia multíplicas : et per paschále sacraméntum, Abraham púerum tuum universárum, sicut jurásti, géntium éfficis patrem; da pópulis tuis digne ad grátiam tuae vocatiónis introíre. Per Dóminum.

### Prophetia IV.

*Exodi 14. f. et 15.*

In diébus illis : Factum est in vigília matutína, et ecce respíciens Dóminus super castra Aegyptiórum per colúmnam ignis et nubis, interfécit exércitum eórum : et subvértit rotas cúrruum, ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Aegýptii : Fugiámus Israélem : Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móysen : Exténde manum tuam super mare, ut revertántur aquae ad Aegýptios super currus et équites eórum. Cumque extendísset Móyses manum contra mare, revérsum est primo dilúculo ad prióren locum : fugientibúsque Aegýptiis occurrérunt aquae, et invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversaéque sunt aquae, et operuérunt currus et équites cuncti exércitus Pharaónis, qui sequéntes ingréssi fúerant mare : nec unus quidem supérfuit ex eis. Fílii autem Israel perrexérunt per médium sicci maris, et aquae eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris : liberavítque Dóminus in die illa Israel de manu Aegyptiórum. Et vidérunt Aegýptios mórtuos super littus maris, et manum magnam quam exercúerat Dóminus contra eos : timuítque pópulus Dóminum, et credidérunt Dómino, et Móysi servo ejus. Tunc cécinit Móyses et fílii Israel carmen hoc Dómino, et dixérunt :

(M.M. ♪ = 160.)

Tract. 8. (*sol-do*)






Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Deus, cujus antíqua mirácula étiam nostris saéculis coruscáre sentimus : dum quod uni pópulo, a persecutióne Aegyptíaca liberándo, déxterae tuae poténtia contulísti, id in salútem géntium per aquam regeneratiónis operáris : praesta ; ut in Abrahae fílios, et in Israelíticam dignitátem, totíus mundi tránseat plenitúdo. Per Dóminum.

## Prophetia V.

*Isaiae 54. g. et 55.*

Haec est heréditas servórum Dómini, et justítia eórum apud me, dicit Dóminus. Omnes sitiéntes veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite, et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem



vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac praeceptórem géntibus. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quae te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificávit te. Quaérite Dóminum, dum inveníri potest : invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum : quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meae cogitatiónes vestrae : neque viae vestrae, viae meae, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur caeli a terra, sic exaltátae sunt viae meae a viis vestris, et cogitatiónes meae a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber, et nix de caelo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen seréntí, et panem comedénti : sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo : non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quaecúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quae misi illud : dicit Dóminus omnípotens.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, multíplica in honórem nóminis tui, quod patrum fidei spopondísti : et promissiónis fílios sacra adoptióne diláta ; ut, quod prióres sancti non dubitavérunt futúrum, Ecclésia tua magna jam ex parte cognóscat implétum. Per Dóminum.

## Prophetia VI.

*Baruch. 3. b.*

Audi Israel mandáta vitae : áuribus pércipe, ut scias prudéntiam. Quid est Israel quod in terra inimicórum es? inveterásti in terra aliéna, coinquinátus es cum mórtuis : deputátus es cum descendéntibus in inférnum. Dereliquísti fontem sapiéntiae. Nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempitérna. Disce ubi sit prudéntia, ubi sit virtus, ubi sit intelléctus : ut scias simul ubi sit longitúrnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculórum, et pax. Quis invénit locum ejus? et quis intrávit in thesáuros ejus? Ubi sunt príncipes géntium, et qui dominántur super béstias, quae sunt super terram? qui in ávibus caeli ludunt, qui argéntum thesaurizant, et aurum, in quo confídunt hómines, et non est finis acquisitiónis eórum? qui argéntum fábricant et sollíciti sunt, nec est invéntio óperum illórum? Extermináti sunt, et ad ínferos descendérunt, et álii loco eórum surrexérunt. Júvenes vidérunt lumen, et habitavérunt super terram : viam autem disciplínae ignoravérunt, neque intellexérunt sémitas ejus, neque fílii eórum suscepérunt eam, a fácie ipsórum longe facta est : non est audíta in terra Chánaan, neque visa est in Theman. Fílii quoque Agar, qui exquírunt prudéntiam, quae de terra est, negotiatóres Merrhae, et Theman, et fabulatóres, et exquisitóres prudéntiae, et intelligéntiae : viam autem sapiéntiae nesciérunt, neque commemoráti sunt sémitas ejus. O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessiónis ejus! Magnus est, et non habet finem : excélsus et imménsus. Ibi fuérunt gigántes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, statúra magna, sciéntes bellum. Non hos elégit Dóminus, neque viam disciplínae invenérunt : proptérea periérunt. Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, interiérunt propter suam insipiéntiam. Quis ascéndit in caelum, et accépit eam, et edúxit eam de núbibus? Quis transfretávit mare, et invénit illam? et áttulit illam super aurum eléctum? Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquírat sémitas ejus : sed qui scit univérsa, novit eam, et adinvénit eam prudéntia sua : qui praeparávit terram in aetérno témpore, et replévit eam pecúdibus et quadrupédibus : qui emíttit lumen, et vadit : et vocávit illud, et obédit illi in tremóre. Stellae autem dedérunt lumen in custódiis suis, et laetátae sunt : vocátae sunt et dixérunt : Adsumus : et luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas. Hic est Deus noster, et non aestimábitur álius advérsus eum. Hic adinvénit omnem viam

disciplínae, et trádidit illam Jacob púero suo, et Israel dilécto suo. Post haec in terris visus est, et cum homínibus conversátus est.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

## Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam semper géntium vocatióne multíplicas: concéde propítius; ut quos aqua baptísmatis ábluis, contínua protectióne tueáris. Per Dóminum.

## Prophetia VII.

*Ezech. 37.*

IN diébus illis: Facta est super me manus Dómini, et edúxit me in spíritu Dómini: et dimísit me in médio campi, qui erat plenus óssibus: et circumdúxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super fáciem campi, siccáque veheménter. Et dixit ad me: Fili hóminis putásne vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticináre de óssibus istis: et dices eis: Ossa árida audíte verbum Dómini. Haec dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromíttam in vos spíritum, et vivétis. Et dabo super vos nervos, et succréscere fáciam super vos carnes, et superexténdam in vobis cutem: et dabo vobis spíritum, et vivétis, et sciétis quia ego Dóminus. Et prophetávi sicut praecéperat mihi: factus est autem sónitus, prophetánte me, et ecce commótio: et accessérunt ossa ad ossa, unumquódque ad junctúram suam. Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes ascendérunt: et exténta est in eis cutis désuper, et spíritum non habébant. Et dixit ad me: Vaticináre ad spíritum, vaticináre fili hóminis, et dices ad spíritum: Haec dicit Dóminus Deus: A quátuor ventis veni spíritus, et insúffla super interféctos istos, et revivíscant. Et prophetávi sicut praecéperat mihi: et ingréssus est in ea spíritus, et vixérunt: steterúntque super pedes suos exércitus grandis nimis valde. Et dixit ad me: Fili hóminis, ossa haec univérsa, domus Israel est: ipsi dicunt: Aruérunt ossa nostra, et périit spes nostra, et abscíssi sumus. Proptérea vaticináre, et dices ad eos: Haec dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlcris vestris pópulus meus: et indúcam vos in terram Israel. Et sciétis quia ego Dóminus, cum aperúero sepúlcra vestra, et edúxero vos de túmulis vestris pópule meus: et dédero spíritum meum in vobis, et vixéritis, et requiéscere vos fáciam super humum vestram, dicit Dóminus omnípotens.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

## Oratio.

DEus, qui nos ad celebrándum paschále sacraméntum, utriúsque Testaménti páginis instruis: da nobis intellígere misericórdiam tuam; ut ex perceptióne praeséntium múnerum, firma sit exspectátio futurórum. Per Dóminum.

## Prophetia VIII.

*Isaiae 4.*

APprehéndent septem mulíeres virum unum in die illa, dicéntes: Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terrae sublímis, et exsultátio his, qui salváti fúerint de Israel. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus in spíritu judícii, et spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, et ubi invocátus est, nubem per diem, et fumum et splendórem ignis flammántis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab aestu, et in securitátem, et absconsiónem a túrbine et a plúvia.





Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Deus, qui in ómnibus Ecclésiae tuae fíliis, sanctórum Prophetárum voce manifestásti, in omni loco dominatiónis tuae, satórem te bonórum séminum, et electórum pálmitum esse cultórem : tríbue pópulis tuis, qui et vineárum apud te nómine censéntur, et ségetum ; ut spinárum et tribulórum squalóre resecáto, digna efficiántur fruge fecúndi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum.

## Prophetia IX. *Exodi 12.*

In diébus illis : Dixit Dóminus ad Móysen et Aaron in terra Aegýpti : Mensis iste, vobis princípium ménsium : primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum coetum filiórum Israel, et dícite eis : Décima die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias et domos suas. Sin autem minor est númerus ut sufficere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum suum qui junctus est dómui suae juxta númerum animárum quae sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus : juxta quem ritum tollétis et haedum. Et servábitis eum usque ad quartamdécimam diem mensis hujus : immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem, et in superlimináribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, et ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni : caput cum pédibus ejus et intestínis vorábitis. Nec remanébit quidquam ex eo usque mane. Si quid resíduum fúerit, igne comburétis. Sic autem comedétis illum : renes vestros accingétis, et calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, et comedétis festinánter : est enim Phase (id est tránsitus) Dómini.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in ómnium óperum tuórum dispensatióne mirábilis es : intélligant redémpti tui, non fuisse excelléntius quod inítio factus est mundus, quam quod in fine saeculórum Pascha nostrum immolátus est Christus : Qui tecum vivit.

## Prophetia X. *Jonae 3.*

In diébus illis : Factum est verbum Dómini ad Jonam prophétam secúndo, dicens : Surge, et vade in Níniven civitátem magnam : et praédica in ea praedicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, et ábiit in Níniven juxta verbum Dómini : et Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et coepit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus : et clamávit, et dixit : Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítae in Deum : et praedicavérunt jejúnium, et vestíti sunt saccis a majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive : et surréxit de sólio suo, et abjécit vestiméntum suum a se, et indútus est sacco, et sedit in cínere. Et clamávit, et dixit in Nínive ex ore regis et príncipum ejus, dicens : Hómines, et juménta, et boves, et pécora non gustent quidquam : nec pascántur, et aquam non bibant. Et operiántur saccis hómines, et juménta, et clament ad Dóminum in fortitúdine, et convertátur vir a via sua mala, et ab iniquitáte, quae est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur, et ignóscat Deus : et revertátur a furóre irae suae, et non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala : et misértus est pópulo suo, Dóminus Deus noster.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

### Oratio.

Deus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti : da nobis, et velle, et posse quae praecipis ; ut pópulo ad aeternitátem vocáto, una sit fides méntium, et píetas actiónum. Per Dóminum.



## Prophetia XI. *Deut. 31. f.*

In diébus illis : Scripsit Móyses cánticum et dócuit fílios Israel. Praecepítque Dóminus Jósue fílio Nun, et ait : Confortáre, et esto robústus : tu enim introdúces fílios Israel in terram, quam pollícitus sum, et ego ero tecum. Postquam ergo scripsit Móyses verba legis hujus in volúmine, atque complévit : praecépit Levítis, qui portábant arcam foéderis Dómini, dicens : Tóllite librum istum, et pónite eum in látere arcae foéderis Dómini Dei vestri : ut sit ibi contra te in testimónium. Ego enim scio contentiónem tuam, et cervícem tuam duríssimam. Adhuc vivénte me et ingrediénte vobíscum, semper contentióse egístis contra Dóminum : quanto magis cum mórtuus fúero? Congregáte ad me omnes majóres natu per tribus vestras, atque doctóres, et loquar audiéntibus eis sermónes istos, et invocábo contra eos caelum et terram. Novi enim quod post mortem meam iníque agétis, et declinábitis cito de via, quam praecépi vobis : et occúrrent vobis mala in extrémo témpore, quando fecéritis malum in conspéctu Dómini, ut irritétis eum per ópera mánuum vestrárum. Locútus est ergo Móyses, audiénte univérso coetu Israel, verba cárminis hujus, et ad finem usque complévit :






Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

## Oratio.

Deus, celsitúdo humílium, et fortitúdo rectórum, qui per sanctum Móysen púerum tuum ita erudíre pópulum tuum sacri cárminis tui decantatióne voluísti, ut illa legis iterátio fíeret étiam nostra diréctio : éxcita in omnem justificatárum géntium plenitúdinem poténtiam tuam, et da laetítiam mitigándo terrórem; ut ómnium peccátis tua remissióne delétis, quod denuntiátum est in ultiónem, tránseat in salútem. Per Dóminum nostrum.

## Prophetia XII. *Dan. 3.*

In diébus illis : Nabuchodónosor rex fecit státuam áuream altitúdine cubitórum sexagínta, latitúdine cubitórum sex, et státuit eam in campo Dura provínciae Babylónis. Itaque Nabuchodónosor rex misit ad congregándos sátrapas,



magistrátus, et júdices, duces, et tyránnos, et praeféctos, omnésque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuae, quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Tunc congregáti sunt sátrapae, magistrátus, et júdices, duces, et tyránni, et optimátes, qui erant in potestátibus constitúti, et univérsi príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuae, quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Stabant autem in conspéctu státuae, quam posúerat Nabuchodónosor rex : et praeco clamábat valénter : Vobis dícitur pópulis, tríbubus, et linguis : In hora qua audiéritis sónitum tubae, et fistulae, et cítharae, sambúcae, et psaltérii, et symphoníae, et univérsi géneris musicórum, cadéntes adoráte státuam áuream, quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eádem hora mittétur in fornácem ignis ardéntis. Post haec ígitur statim ut audiérunt omnes pópuli sónitum tubae, fístulae et citharae, sambúcae, et psaltérii, et symphoníae, et omnis géneris musicórum : cadéntes omnes pópuli, tribus, et linguae, adoravérunt státuam áuream, quam constitúerat Nabuchodónosor rex. Statímque in ipso témpore accedéntes viri Chaldaéi accusavérunt Judaéos, dixerúntque Nabuchodónosor regi : Rex in aetérnum vive : tu rex posuísti decrétum ut omnis homo qui audíerit sónitum tubae, fístulae, et citharae, sambúcae, et psaltérii, et symphoníae, et univérsi géneris musicórum, prostérnat se, et adóret státuam áuream : si quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardéntis. Sunt ergo viri Judaéi quos constituísti super ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Misach, et Abdénago : viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum : deos tuos non colunt, et státuam áuream, quam erexísti, non adórant. Tunc Nabuchodónosor in furóre et in ira praecépit ut adduceréntur Sidrach, Misach, et Abdénago : qui conféstim addúcti sunt in conspéctu regis. Pronuntiánsque Nabuchodónosor rex, ait eis : Veréne Sidrach, Misach, et Abdénago, deos meos non cólitis, et státuam áuream, quam constitui non adorátis? Nunc ergo si estis paráti, quacúmque hora audiéritis sónitum tubae, fístulae, cítharae, sambúcae, et psaltérii, et symphoníae, omnísque géneris musicórum, prostérnite vos, et adoráte státuam quam feci : quod si non adoravéritis, eádem hora mittémini in fornácem ignis ardéntis : et quis est Deus, qui erípiet vos de manu mea? Respondéntes Sidrach, Misach, et Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor : Non opórtet nos de hac re respondére tibi. Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, et de mánibus tuis, o rex, liberáre. Quod si noluérit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, et státuam áuream quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre : et aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach, et Abdénago, et praecépit ut succenderétur fornax séptuplum quam succéndi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut ligátis pédibus Sidrach, Misach, et Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféstim viri illi vincti, cum braccis suis, et tiáris, et calceaméntis et véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis. Nam jússio regis urgébat : fornax autem succénsa erat nimis. Porro viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, et Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammae, laudántes Deum, et benedicéntes Dómino.

*Hic non dicitur* Flectámus génua, *sed tantum :*

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, spes única mundi, qui prophetárum tuórum praecónio, praeséntium témporum declarásti mystéria : auge pópuli tui vota placátus; quia in nullo fidélium, nisi ex tua inspiratióne, provéniunt quarúmlibet increménta virtútum. Per Dóminum.

*His expletis, si Ecclesia habuerit Fontem baptismalem, Sacerdos descendit cum Clero et Ministris ad benedictionem Fontis : et interim cantatur sequens :*

(M.M. ♪ = 160.)

Tract. 8. (sol-do)









*Deinde Sacerdos, antequam intret ad benedictionem Fontis, dicit hanc Orationem juxta Fontem.*

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

Orémus. *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, réspice propítius ad devotiónem pópuli renascéntis, qui sicut cervus, aquárum tuárum éxpetit fontem : et concéde propítius ; ut fídei ipsíus sitis, baptísmatis mystério, ánimam corpúsque sanctíficet. Per Dñum.

*Postea procedit ad benedictionem Fontis, dicens :*

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

Orémus. *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, adésto magnae pietátis tuae mystériis, adésto sacraméntis : et ad recreándos novos pópulos, quos tibi fons baptísmatis párturit, spíritum adoptiónis emítte : ut quod nostrae humilitátis geréndum est ministério, virtútis tuae impleátur efféctu. Per Dóminum.

*Deinde prosequitur in modum Praefationis, junctis manibus :*

Per ómnia saécula saeculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Déo nóstro. ℟. Dignum et jústum est.

VEre dignum et justum est, aequum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus. Qui invisíbili poténtia, sacramentórum tuórum mirabíliter operáris efféctum : Et licet nos tantis mystériis exsequéndis simus indígni : Tu tamen grátiae tuae dona non déserens, étiam ad nostras preces aures tuae pietátis inclínas. Deus, cujus Spíritus super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur : ut jam tunc virtútem sanctificatiónis aquárum natúra concíperet. Deus, qui nocéntis mundi crímina per aquas ábluens, regeneratiónis spéciem in ipsa dilúvii effusióne signásti : ut unius ejusdémque eleménti mystério, et finis esset vítiis, et orígo virtútibus. Réspice Dómine in fáciem Ecclésiae tuae, et multíplica in ea regeneratiónes tuas, qui grátiae tuae affluéntis ímpetu laetíficas civitátem tuam; fontémque baptísmatis áperis toto orbe terrárum géntibus innovándis : ut tuae majestátis império, sumat Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto.

*Hic Sacerdos manu extensa dividit aquam in modum crucis, et eam statim linteo extergit, dicens :*

QUI hanc aquam regenerándis homínibus praeparátam, arcána sui núminis admixtióne foecúndet : ut sanctificatióne concépta, ab immaculáto divíni fontis útero, in novam renáta creatúram, progénies caeléstis emérgat. Et quos aut sexus in córpore, aut aetas discérnit in témpore, omnes in unam páriat grátia mater infántiam. Procul ergo hinc, jubénte te Dómine, omnis spíritus immúndus abscédat : procul tota nequítia diabólicae fraudis absístat. Nihil hic loci hábeat contráriae virtútis admíxtio : non insidiándo circúmvolet : non laténdo subrépat : non inficiéndo corrúmpat.

*Aquam manu tangit.*

SIT haec sancta et innocens creatúra, líbera ab omni impugnatóris incúrsu, et totíus nequítiae purgáta discéssu. Sit fons vivus, aqua régenerans, unda puríficans : ut omnes hoc lavácro salutí-

fero diluéndi, operánte in eis Spíritu Sancto, perféctae purgatiónis indulgéntiam consequántur.

*Facit tres cruces super fontem, dicens :*

UNde benedíco te, creatúra aquae, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum : per Deum, qui te in princípio, verbo separávit ab árida : cujus Spíritus super te ferebátur.

*Hic manu aquam dividit, et effundit eam versus quatuor mundi partes.*

QUI te de paradísi fonte manáre fecit, et in quátuor flumínibus totam terram rigáre praecépit. Qui te in desérto amáram, suavitáte índita fecit esse potábilem, et sitiénti pópulo de petra prodúxit. Bene ✠ dico te et per Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui te in Cana Galilaéae signo admirábili, sua poténtia convértit in vinum. Qui pédibus super te ambulávit : et a Joánne in Jordáne in te baptizátus est. Qui te una cum sánguine de látere suo prodúxit : et discípulis suis jussit, ut credéntes baptizaréntur in te, dicens : Ite, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

*Mutat vocem, et prosequitur in tono Lectionis.*

HAec nobis praecépta servántibus, tu Deus omnípotens, clemens adésto : tu benígnus aspíra.

*Halat ter in aquam in modum crucis, dicens :*

TU has símplices aquas tuo ore benedícito : ut praeter naturálem emundatiónem, quam lavándis possunt adhibére corpóribus, sint étiam purificándis méntibus efficáces.

*Ter dimittit Cereum in aquam, dicens in tono Praefationis.*

DEscéndat in hanc plenitúdinem fontis virtus Spíritus Sancti.

*Tertio relinquit Cereum in aqua, et sufflat ter in aquam.*

TOtámque hujus aquae substántiam, regenerándi foecúndet efféctu.

*Hic tollitur Cereus de aqua, et prosequitur :*

HIC ómnium peccatórum máculae deleántur : hic natúra ad imáginem tuam cóndita, et ad honórem sui reformáta princípii, cunctis vetustátis squalóribus emundétur : ut omnis homo sacraméntum hoc regeneratiónis ingréssus, in verae innocéntiae novam infántiam renascátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et saéculum per ignem. ℟. Amen.

*Deinde spargitur de ipsa aqua benedicta super populum. Postea Sacerdos infundit oleum Catechumenorum in aquam.*

SAnctificétur, et foecundétur fons iste óleo salútis renascéntibus ex eo, in vitam aetérnam. ℟. Amen.

*Deinde infundit de chrismate, modo quo supra :*

INfúsio chrísmatis Dómini nostri Jesu Christi, et Spíritus Sancti Parácliti, fiat in nómine sanctae Trinitátis. ℟. Amen.

*Postea infundit simul de chrismate et de oleo sacro.*

COmmíxtio chrísmatis sanctificatiónis, et ólei unctiónis, et aquae baptísmatis, páriter fiat in nómine Pa ✠ tris et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

*Deinde revertentibus Sacerdote et Ministris ad Altare, cantantur Litaniae a duobus Cantoribus, et Chorus idem simul repetit.*

¶ *Ubi vero non est Fons baptismalis, finita ultima Prophetia cum Oratione, omnibus genuflexis, cantantur Litaniae in medio chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem simul respondente.*

(M.M. ♪ = 144 à 160.)



Ký-ri- e e-lé- i-son. Chríste e- lé- i- son. Ký-ri-





e e-lé- i-son. Chríste áudi nos. Chríste exáudi nos.



Pá-ter de caé- lis Dé- us, mi-se-ré-re nó-bis.
Fíli Redémptor múndi Dé- us, mi-se-ré-re nó-bis.
Spíri- tus Sán-cte Dé- us, mi-se-ré-re nó-bis.
Sáncta Trínitas únus Dé- us, mi-se-ré-re nó-bis.



Sáncta Ma- rí- a, ó-ra pro nó-bis.
Sáncta Dé- i Gé- ni-trix, ó-ra pro nó-bis.
Sáncta Vírgo vír-gi-num, ó-ra pro nó-bis.
Sáncte Mí-cha- el, ó-ra pro nó-bis.
Sáncte Gá-bri- el, ó-ra pro nó-bis.
Sáncte Rápha- el, ó-ra pro nó-bis.



Omnes sáncti Ange- li et Archánge- li, o- rá- te
Omnes sáncti beatórum Spíritúum órdi- nes, o- rá- te
Sáncte Joánnes Baptísta, ó- ra
Sáncte Jóseph, ó- ra
Omnes sáncti Patriárchae et Prophétae, o- rá- te



pro nó-bis.



Sáncte Pétre, ó-ra pro nó-bis.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Sáncte Páule, | óra. | Sáncte Silvéster, | óra. |
| Sáncte Andréa, | óra. | Sáncte Gregóri, | óra. |
| Sáncte Joánnes, | óra. | Sáncte Augustíne, | óra. |
| Omnes sáncti Apóstoli et Evangelístae, | oráte. | Omnes sáncti Pontífices et Confessóres, | oráte. |
| Omnes sáncti Discípuli Dómini, | oráte. | Omnes sáncti Doctóres, | oráte. |
| Sáncte Stéphane, | óra. | Sáncte Antóni, | óra. |
| Sáncte Lauréntí, | óra. | Sáncte Benedícte, | óra. |
| Sáncte Vincénti, | óra. | Sáncte Domínice, | óra. |
| Omnes sáncti Mártyres, | oráte. | Sáncte Francísce, | óra. |

Omnes sáncti Sacerdótes et Levítae, oráte.
Omnes sáncti Monáchi et Eremítae, oráte.
Sáncta María Magdaléna, óra.
Sáncta Agnes, óra.
Sáncta Caecília, óra.
Sáncta Agatha, óra.
Sáncta Anastásia, óra.
Omnes sánctae Vírgines et Víduae, oráte.
Omnes Sáncti et Sánctae Déi, intercédite pro nóbis.



Pro-pí- ti- us é- sto, párce nó-bis Dómi-ne.
Pro-pí- ti- us é- sto, exáu-di nos Dómi-ne.
Ab ómni má- lo, lí-be- ra nos Dómi-ne.

Ab ómni peccáto, líbera nos Dómine.
A mórte perpétua, líbera nos Dómine.
Per mystérium sánctae incarnatiónis túae, líbera nos Dómine.
Per advéntum túum, líbera nos Dómine.
Per nativitátem túam, líbera nos Dómine.
Per baptísmum et sánctum jejúnium túum, líbera nos Dómine.
Per crúcem et passiónem túam, líbera nos Dómine.
Per mórtem et sepultúram túam, líbera nos Dómine.
Per sánctam resurrectiónem túam, líbera nos Dómine.
Per admirábilem ascensiónem túam, líbera nos Dómine.
Per advéntum Spíritus Sáncti Paráclíti, líbera nos Dómine.
In díe judícii, líbera nos Dómine.



Pecca-tó- res, te ro-gámus áudi nos.

Ut nóbis párcas, te rogámus áudi nos.
Ut Ecclésiam túam sánctam † régere et conserváre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut Domnum Apostólicum et ómnes Ecclesiásticos órdines † in sáncta religióne conserváre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut inimícos sánctae Ecclésiae † humiliáre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut régibus et princípibus christiánis † pácem et véram concórdiam donáre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut nosmetípsos in túo sáncto servítio † confortáre et conserváre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nóstris † sempitérna bóna retríbuas, te rogámus áudi nos.
Ut frúctus térrae † dáre et conserváre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis † réquiem aetérnam donáre dignéris, te rogámus áudi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus áudi nos.



Agnus Dé- i, qui tól-lis peccá-ta múndi, párce nó-



bis Dómi-ne. Agnus Dé- i, qui tól-lis peccá-ta múndi,





exáudi nos Dómi-ne. Agnus Dé- i, qui tól-lis pecca-



ta múndi, mi-se-ré-re nó-bis. Chrí-ste áudi nos. Chrí-



ste exáudi nos.

*Hic Cantores solemniter incipiunt* Kýrie eléison, *ut notatur pro Tempore Paschali,* **14;** *quo finito Celebrans incipit solemniter* Glória in excélsis, *et pulsantur campanae.*

## Oratio.

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem glória domínicae Resurrectiónis illústras; consérva in nova famíliae tuae progénie adoptiónis spíritum, quem dedísti; ut córpore et mente renováti, puram tibi exhíbeant servitútem. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

## Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses. *Col. 3.*

Fratres : Si consurrexístis cum Christo : quae sursum sunt quaérite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens : quae sursum sunt sápite non quae super terram. Mórtui enim estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra : tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

*Finita Epistola Celebrans incipit :*

(M.M. ♪ = 160.)

8. (sol-do)



Alle- lú- ia.

*Et totum decantat ter, elevando vocem gradatim : et Chorus post quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem.*

*Postea Chorus prosequitur :*



℣. Confi- té-mi-ni Dó- mi- no,



quó- ni- am bó- nus : quó- ni-



am in saé-cu- lum mi- se- ri- cór- di- a *




(*Non repetitur* Allelúia).

✠ **Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.** *Matth. 28.*

VEspere autem sábbati, quae lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María, vidére sepúlcrum. Et ecce terraemótus factus est magnus. Angelus enim Dómini descéndit de caelo : et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum : erat autem aspéctus ejus sicut fulgur : et vestiméntum ejus sicut nix. Prae timóre autem ejus extérriti sunt custódes, et facti sunt velut



mórtui. Respóndens autem Angelus, dixit muliéribus : Nolíte timére vos : scio enim, quod Jesum, qui crucifíxus est, quaéritis : non est hic : surréxit enim, sicut dixit. Venite, et vidéte locum ubi pósitus erat Dóminus. Et cito eúntes, dícite discípulis ejus quia surréxit : et ecce praecédit vos in Galilaéam : ibi eum vidébitis. Ecce praedíxi vobis.

*Non dicitur* Credo *neque Offertorium.*

## Secreta.

SUscipe, quaésumus Dómine, preces pópuli tui, cum oblatiónibus hostiárum : ut paschálibus initiáta mystériis, ad aeternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per Dóminum.

*Praefatio Paschalis, 7. Dicitur* Pax Dómini sit semper vobíscum, *sed pacis osculum non datur.* Agnus Dei, *non dicitur, nec Postcommunio.*

¶ *Post sumptionem Sacramenti, pro Vesperis in Choro cantatur :*




**Psalmus 116.**




2. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia éjus : * et véritas Dómini mánet in in aetérnum.

3. Glória Pátri, *et* Fílio, * et Spirítui Sáncto.

4. Sicut érat in princípio, et nunc, *et* sémper, * et in saécula saeculórum. Amen.

*Repetitur Antiphona* Allelúia, *et statim Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad* Magníficat, *quam Chorus prosequitur.*




*Cant.* Magníficat. 8. G. 210.

*Repetita Antiphona a Choro, Celebrans dicit :*
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

Orémus.

SPíritum nobis Dómine tuae caritátis infúnde : ut quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum.

*Deinde dicit :* ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

*Et Diaconus vertens se ad populum, cantat :*

(M.M. ♪ = 160.)

8. 

I-te, míssa est, al-le-lú- ia, al-le- lú- ia.
℟. Dé- o grá-ti- as, al-le-lú- ia, al-le- lú- ia.

## AD COMPLETORIUM.

℣. Júbe dómne benedícere. — *Lectio brevis.* Frátres : Sóbrii estóte. — ℣. Adjutórium nóstrum. Páter nóster. *Et facta Confessione et Absolutione dicitur :* ℣. Convérte nos. ℣. Déus in adjutórium *cum* Allelúia. Glória Pátri.

*Deinde sine Antiphona dicuntur Psalmi de Dominica, in tono sequenti :*

### Psalmus 4.

2. (*la-do*) 

1. Cum invo-cá-rem exaudí-vit me Dé- us justí- ti- *ae*



mé- ae : * in tri-bu-la-ti- ó-ne di- la-*tásti* mí- hi.

2. Miserére méi, * et exáudi oratiónem méam.
3. Fílii hóminum úsquequo grávi córde? * ut quid dilígitis vanitátem et quaéritis mendácium?
4. Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sánctum súum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad éum.
5. Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus véstris, in cubílibus véstris compungímini.
6. Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino, * Múlti dícunt : Quis osténdit nóbis bóna?
7. Signátum est super nos lúmen vúltus túi Dómine : * dedísti laetítiam in córde méo.
8. A frúctu fruménti, vini et ólei súi, * multiplicáti sunt.
9. In páce in idípsum * dórmiam et requiéscam.
10. Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.
11. Glória Pátri, et Fílio, * et Spirítui Sáncto.
12. Sicut érat in princípio, et nunc, et sémper, * et in saécula saeculórum. Amen.



### Psalmus 90.



1. Qui há-bi-tat in adju-tó-ri- o *Al*tíssimi, * in pro-te-



cti- ó-ne Dé- i caé-li *commo*-rá-bi-tur.

2. Dícet Dómino : Suscéptor méus es tu et refúgium méum : * Déus méus, sperábo in éum.
3. Quóniam ípse liberávit me de láqueo venántium, * et a vérbo áspero.
4. Scápulis súis obumbrábit tíbi : * et sub pénnis éjus sperábis.
5. Scúto circúmdabit te véritas éjus : * non timébis a timóre noctúrno.
6. A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et daemónio meridiáno.
7. Cádent a látere túo mille, et décem míllia a déxtris túis : * ad te autem non appropinquábit.
8. Verúmtamen óculis túis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.
9. Quóniam tu es Dómine spes méa : * Altíssimum posuísti refúgium túum.
10. Non accédet ad te málum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo túo.
11. Quóniam Angelis súis mandávit dé te : * ut custódiant te in ómnibus víis túis.
12. In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pédem túum.
13. Super áspidem et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.
14. Quóniam in me sperávit, liberábo éum : * prótegam éum, quóniam cognóvit nómen méum.
15. Clamábit ad me, et égo exáudiam éum : * cum ípso sum in tribulatióne : erípiam éum et glorificábo éum.
16. Longitúdine diérum replébo éum : * et osténdam ílli salutáre méum.
17. Glória Pátri, et Fílio, * et Spirítui Sáncto.
18. Sicut érat in princípio, et nunc, et sémper, * et in saécula saeculórum. Amen.

### Psalmus 133.



1. Ecce nunc benedí-ci-*te* Dóminum, * ómnes *sérvi* Dómi-ni.

2. Qui státis in dómo Dómini, * in átriis dómus Déi nóstri.
3. In nóctibus extóllite mánus véstras in sáncta, * et benedícite Dóminum.
4. Benedícat te Dóminus ex Síon, * qui fécit caélum et térram.
5. Glória Pátri, et Fílio, * et Spirítui Sáncto.
6. Sicut érat in princípio, et nunc, et sémper, * et in saécula saeculórum. Amen.

*Hymnus, Capitulum,* ℟. *breve et* ℣. *non dicuntur sed Psalmis dictis inchoatur Ant.* Véspere autem sábbati, *ut supra,* 647; *et statim incipitur Canticum* Nunc dimíttis.

Canticum Simeonis.




3. Quod parásti * ante fáciem ómnium *popu*lórum :
4. Lúmen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plébis *túae* Israel.
5. Glória Pátri, et Fílio, * et Spirí*tui* Sáncto.
6. Sicut érat in princípio, et nunc, et sémper, * et in saécula saecu*lórum*. Amen.

*Repetita Antiphona, statim dicitur :*
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu túo.

*Oratio.* Visita, *cum reliquis,* 239. *In fine, Antiphona.* Regina caéli. 241.

# DOMINICA RESURRECTIONIS.

## AD MATUTINUM.

Pater. Ave. Credo.




Déus in adjutórium. Glória Pátri. Allelúia. 217.



Invitatorium.




*Chorus repetit :* Surréxit Dóminus vere : * Allelúia.




*Chorus :* Surréxit.




*Chorus :* * Allelúia.

*In sequenti Psalmi versu, ad verba* . Venite, adorémus, et procidámus ante Déum, *genuflectitur.*